



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

S. Praepositio De Strand.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

consuevit assumere, aut in extremitate pallij, quod manu Episcopi vel cuiuslibet alterius Prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super ipsum altare aliquo involutum panniculo cum debita humilitate ponendum, sub testimonio videntium & audientium, forma donationis huiusmodi subsequente, quæ scotatio vulgariter appellatur. Verum quia huiusmodi donatio malitiosè à quibusdam cavillatoribus, sicut asseris, impeditur, à nobis humiliter postulasti, ne loca religiosa & Ecclesiæ, quibus multæ possessiones sub scotatione huiusmodi sunt collatæ, ab aliquibus possint vel debeant temerè perturbari, paterna debeamus sollicitudine providere. Nolentes igitur ut tales constitutiones, quas diuturnitas temporis, ut asseris, observavit, & usus consuetudinis hætenus approbatæ retinuit, temeritate qualibet infirmentur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus donationes eorum quæ sub obtentu consuetudinis claustris, Ecclesiis, vel quibuslibet locis religiosis piè ac providè conferuntur, vel etiam sunt collatæ, faciatis irrevocabiles observari, cum huiusmodi signum, quod scotatio dicitur, non tam factæ donationis quàm traditæ possessionis sit evidens argumentum. si quos contradictores inveneritis aut rebelles, auctoritate freti apostolica, per censuram ecclesiasticam, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo compescentes. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

S. PRÆPOSITO DE STRAND.

Cvm à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, Præposituram sitam in locis qui vulgariter appellantur Strand & Ford, sicut eam prædecessores tui justè & canonicè possederunt, & tu eandem à venerabili fratre nostro W. Episcopo Sleshuicen. canonicè tibi concessam justè ac sine controversia possides, cum omni jure ac pertinentiis suis, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

ABSALONI LVNDEN.
Archiepiscopo.

TRansmissa nobis dilectus filius S. Præpositus de Strand conquestione monstravit, quòd dilectus filius E. Præpositus de Scellsvig. duas Ecclesias,

videlicet de Henestbl. & de Stuntabl. ad suam Præposituram de jure spectantes, eidem injustè subtraxit. Nolentes igitur eundem Præpositum aliquod in suo jure dispendium sustinere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatum Præpositum de Scellsvig. ad restitutionem Ecclesiarum illarum per censuram ecclesiasticam monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, justitia mediante, compellas. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

IOFFRIDO ABBATI
Monasterij de Sore, ejusque fratribus
tam præsentibus quàm futuris, regularem
vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum de Sore, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Grangias Slahglose, Luinge, Guthem, Biarby, Vvendelose, Vvethlebi, Asuwardabothe, Egby, cum adjacentibus sylvis, pratis, & pascuis, piscariis, & molendinis. & grangiam in Hallandia, quæ dicitur Toacher, cum sylvis, & ceteris pertinentiis suis. Nytorp, cum adjacentibus agris, sylvis, & pascuis. Gotstorp cum adjacenti sylva, & exterioribus similibus mansiones, videlicet Snartinge, Glostorp, Vvinnige, Quercheby, Scupinge, Tornelef, cum adjacentibus terris, & concoloniis suis. & partem decimarum quam habetis in parochiis Olesch, Harastald, Finnatorp, Gelet. & illud quod habetis in Leoghe, Sundetorp, Sunuarthatorp, Biarby, & Gerlef. & illud quod habetis in provenitibus apud memoriam sanctæ Margaritæ Ecclesiæ beatæ Mariæ Roschildis. Præterea donationem sive concessionem ab inclytæ memoriæ Vvaldemaro quondam Rege Danorum & carissimo in Christo filio nostro Canuto Rege filio ejus super libertate & immunitate colonorum vestrorum vobis pia devotione factam, sicut in eorundem Regum scriptis authenticis continetur, auctoritate vobis apo. confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Sanè laborum &c. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos &c. Prohibemus insuper ut nulli vestrorum fratrum post factam &c. Discedentem &c. Illud districtius inhibentes, ne terras &c. Si quæ verò &c. Ad hæc etiam prohibemus ne &c. Quod

*In codice Col-
beriano legitur
Scelvidig

Epist. 415.
Privilegia ip-
sorum atque
donationes
confirmat.

Epist. 413.
Præposituram
ipsi collatam
confirmat.

Epist. 414.
Præposito de
Strand ablatis
Ecclesiis resti-
tuimus.